

1771, 2 / 8  
475

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE  
PRAEROGATIVA HYPOTHECAE  
PUBLICAE TACITAE AEQVE  
AC EXPRESSAE COMPETENTE

QVAM  
EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
IO. AVGVSTO HELLFELD, D.

CODICIS ET NOVELL. PROF. PVBL. ORDIN.  
SCABINOR. COLLEGII SENIORE SEREN. DVCIS SAXO-VINARIENSIS  
CONSILIARIO REGIMINIS INTIMO FACVLTATIS  
IVRIDICAE H. T. DECANO.

P R O L I C E N T I A

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES ET PRIVILEGIA RITE  
CONSEQVENDI PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT.

A V C T O R  
GEORG. GVILIELMVS AB EITZEN  
STADENSIS.

DIE XXVII. APRILIS. CIOCCCLXXI.

I E N A E  
LITTERIS MAVKIANIS.





VIRIS  
ILLVSTRIBVS, MAGNIFICIS,  
AMPLISSIMIS  
CONSVLTISSIMIS, PRVDENTISSIMIS  
CONSVLIBVS  
SYNDICIS  
SENATORIBVS  
PROTONOTARIO  
ARCHIVARIO  
SECRETARIIS  
INCLYTAE S. R. I. CIVITATIS  
HAMBVRGENSIS  
FAVTORIBVS ATQVE PATRONIS  
SVMME VENERANDIS



HANC  
DISSERTATIONEM INAVGVRALEM

DEVOTISSIMO ANIMO

DAT, DICAT, DEDICATQVE

ET

INTER VOTA

PRO

TANTORVM VIRORVM

FELICITATE PERPETVA SVSCEPTA SE SVAQVE STVDIA

DE

MELIORI COMMENDAT

AVCTOR

GEORG. GVILIELMVS AB EITZEN

STADENSIS.





## PROOEMIUM.

### §. I.


*Ictorum opiniones de praerogativa hypothecarum  
publicarum.*



An hypothecae publica auctoritate coram iudice constitutae, vel trium testium probatae atque integrae fidei subscriptionibus munitae, praerogativa prae tacitis, tempore licet prioribus, gaudeant hypothecis? inter Ictos disputatur. Sunt qui hypothecas legales priuatis annumerant, iisque haud maiorem, ac priuatis, tribuunt valorem, ideoque publicas, licet posteriores, tacitis indistincte praeponunt hypothecis (\*). Alii hypothecas legales ad classem publicarum referunt, sicque eas cum publicis pari iure aestimant (\*\*). Rursus alii, cum BOEHMERO (\*\*\*) media incedentes via, hypothecas legales,

A

gales,



gales, quae in publicis instrumentis nituntur, publicas, quae vero non ex publicis instrumentis deducuntur, priuatas praedicant, hasque illis postponendas credunt. Inde, cum de inaugurati specimine cogitarem, laborem haud frustraneum me suscepturum putauit, si in rationes harum sententiarum inquirerem, quidue mihi videatur, publicae disquisitioni exponerem.

(\*) BRUNNEMANN, *proc. concursus credit.* §. 48. HARPRECHT *respons. iur. ciuil. et crimin.* Vol. IV. resp. 92. n. 101. *Vol. nouo Consil. Tubing. Consil.* 69. n. 87. sqq. et sing. disputat. de *pignore publico*, quae est XXVII. in coll. diff. Harprechtian.

(\*\*) MYNSING. Cent. I. obs. 59. LEYSER Spec. 226. medit. I. LAVTERBACH *coll. pr. iur.* qui potiores in pignore §. 10. de PVFENDORF T. I. obseru. 211. MERLINVS de *pignor. et hypothe.* lib. IV. tit. I. qu. 7. HUBER *pracl.* ad D. lib. XX. tit. 4. §. 18. de LYNCKER Resol. 262.

(\*\*\*) I. H. BOEHMER de *praerog. pign. publ.* cap. I. §. 15. WESTPHAL von *PfundR.* §. 166. 167.

## §. II.

### *Ordo tractandorum.*

Sicuti vero ius, quo in materia pignorum et hypothecarum utimur, vel receptum Romanum, vel patrium est; ita quoque ordinis causa materia, quam tractandam elegimus, in tres commode diuidi potest sectiones. Quarum prima generales notiones pignoris eiusque diuisiones, altera iuris Romani, tertia iuris patrii, principia de praerogatiua tacitae et publicae hypothecae prae priuata, exhibebit.

### SECTIO. I.

#### GENERALES PIGNORIS NOTIONES EIVSQVE DIVISIONES SISTENS.

### §. III.



## §. III.

*Definitio pignoris eiusque diuisio in pignus et hypothecam.*


*Ius reale in crediti securitatem concessum, dicitur PIGNVS. Cuius duae sunt species: hypotheca nempe, et pignus stricte sic dictum. HYPOTHECA, ein Unterpfand, eine Hypothek, est ius in re sine eius traditione in securitatem crediti constitutum. PIGNVS stricte dictum, ein Handhabend Pfand, ein FaustPfand, dicitur, quando res in securitatem crediti traditur (\*). Curate igitur loquendo hypothecam a pignore distinguimus, aut haud raro, genere pro specie posito, hypothecam pignoris vocabulo notamus.*

(\*) §. 7. Inst. de action. L. 5. §. 1. D. de pignor. L. 9. §. 2. D. de pignor. actione. Res non distinguit pignus ab hypotheca, sed pignus aequae ac hypotheca in rebus tam mobilibus, quam immobilibus, locum habet MVDÆVS de pignor. et hypothecis procm. n. 5. BACHOVIVS de pign. et hyp. lib. I. cap. I.

## §. IV.

*Diuisiones pignorum in voluntarium et necess. et huius in legale, praetor. et iudiciale.*

Sicuti omne ius reale, ita quoque pignus, constituitur, vel debitoris consensu, vel sine eo. *Quod debitoris consensu constituitur, pignus EXPRESSVM, seu voluntarium, dicitur. Quod vero sine debitoris consensu in eius re, seu bonis, constitutum est, doctrinae causa NECESSARIVM appellare licebit (\*). Necessarium pignus, vel magistratus, vel lex constituit. Hic TACITVM (\*\*)* seu LEGALE, *ein stillschweigendes, ein gesetzliches Unterpfand, habemus, ibi, prout vel in iure apud praetorem, vel praeiudicio iudicati exequen-*



di causa pignus constituitur, vel *praetorium* vel *iudiciale* (\*\*\*) nascitur. Voluntarium rursus vel *testamentarium* vel *conventionale* est (\*\*\*)).

(\*) Probat hanc distinctionem BALDVINVS *tr. de pignoribus et hypothecis* cap. 3.

(\*\*) Iustinianus L. I. C. *communis de legatis* pignus tacitum describit, quod nullo verbo praecedente induitur ab ipsa lege. Distinctio quorundam doctorum, in pignus tacitum, per excellentiam tale, quod factum constitui fingunt, et pignus tacitum, quod immediate ex lege est, nullius est momenti. Quia omne pignus tacitum lege, non factum, constituitur, et licet lex semper factum praeponat, quo existente, pignus tacitum locum habere potest, non tamen factum in se, sed lex ob factum existens, ius pignoris efficit.

(\*\*\*) L. 2. C. de *praetorio pignore* L. I. C. *si in causa iudicati pignus*.

(\*\*\*) L. 26. pr. D. de *pignoratitia actione*.

### §. V.

#### *Diuisio in generale et speciale pignus.*

Pignus operatur ius reale (§.3.). Quod, si creditori in omnibus debitoris bonis competit, GENERALE, si vero, in re quadam singulari est constitutum, SPECIALE vocatur. Generale pignus (\*), quod expressum aequae ac tacitum esse potest, ad omnia debitoris bona, praesentia et futura, imo ad corpora pecuniae, tempore, quo creditor pignus persequitur, apud debitorem existentis (\*\*), se extendit, et speciali posteriori praefertur, etiam si ex caeteris debitoris bonis creditori satisfieri queat (\*\*).

(\*) L. 9. C. *quae res pignori*.

(\*\*) L. pen. §. 2. D. *de pignoribus*.

(\*\*\*) L. 2. C. *qui potiores in pignore* et L. 6. C. *cod.*

### §. IV.

## §. VI.

*Diuisio in simplex et qualificatum pignus.*


Porro pignus, quod creditori competit, est vel simplex vel priuilegiatum seu qualificatum. Hoc, vi singularis priuilegii aliis, etiam antiquioribus, pignoribus praefertur. Illud ex communi pignoris iure aestumatur. Minime vero priuilegium certis pignoribus a lege tributum, confundi debet cum priuilegio exigendi. Hoc enim priuilegium, de quo sub parte posteriore tituli Pandectarum *de bonis auctoritate iudicis possidendis* legimus, significat praelationem et praerogatiuam inter simplices creditores, quos chirographarios appellant. Creditores, priuilegio exigendi gaudentes, praxis vocat personaliter priuilegiatos, qui in creditorum concursu quartam occupant classem, sicque omnibus creditoribus hypothecariis postponuntur (\*).

(\*) L. 9. C. qui potiores in pignore VANDERANVS de priuilegiis creditorum T. II. thes. Meermannii p. 678. sqq.

## §. VII.

*De diuisione pignorum in publica et priuata.*

Potissimum vero ad nostrum pertinet institutum diuisio pignorum in publica et priuata. Quae doctrinalis est, nec verbis legum Romanarum continetur expressis. Alio autem sensu pignora vocantur publica apud nos, alio apud Romanos. Apud nos pignora publica habentur, quae publica fide sunt constituta. Priuata econtrario sunt, quorum constitutio fide solum priuata innititur. Sicuti enim in genere publicum vocamus, quod ad imperantem seu ciuitatem



tatem se refert (\*); ita quoque pignora sunt publica, quae vel ab ipso imperante, vel ab eo qui imperantis auctoritate agit, magistratu nempe, sunt constituta. Econtrario apud Romanos differentiam hypothecarum publicarum et priuatarum scripturae diuersitas efficiebat. *Quae enim ex instrumentis publice confectis, probantur hypothecae, sunt PUBLICAE (\*\*), quae vero ex priuatis instrumentis vindicantur, sunt PRIVATAE (\* \*)*. Quasi publicae hypothecae habentur, quae fide instrumenti trium probatae atque integrae opinionis virorum subscriptionibus muniti nituntur. Quia id, quod trium probatae fidei virorum testimonio nititur, quasi integrae ciuitatis fidem habere creditur, sicque pro quasi publico habetur.

(\*) Inde *publica sola* dicuntur, quae sunt populi Romani L. 15. de V. S. *publica bona, publica uectigalia*, quae reipublicae seu fisci sunt L. 17. eod. *acta publica*, quae imperantis seu magistratus auctoritate sunt confecta L. 2. C. de edendo. Habemus quoque personas publicas, L. 30. C. de episcopis.

(\*\*) L. 11. C. *qui potiores sunt in pignore*.

(\* \*) Hypothecae chirographo constitutae exempla occurrunt L. 30. §. 1. D. de exceptione rei iudicatae L. 26. §. 1. D. de pignor. In epistola quoque de hypotheca conueniri potuisse, docet L. 34. §. 1. D. de pignor.

### §. VIII.

#### *Pignoris constitutio scripturam non requirit.*

Quod ad modum constituendi pignora attinet, illa vel ex debitoris voluntate, vel sine ea, a lege, seu iudice, constituuntur (§. 4.). Scripturam pignoris constitutio non requirit. Nam pignoris speciem, quamcunque velis, siue necessarium, legale seu iudiciale, siue voluntarium, conuentionale et testamentarium, tibi fingas pignus, earum nulla scri-

scripturam necessario desiderat, et scriptura pignori accedens non tam ad constitutionem, quam ad constituti pignoris probationem facit, quae tamen et aliunde veluti per testes, fieri potest. Patet hoc ex verbis legis (\*) sequentibus: *Contrahitur hypotheca per pactum conuentum, cum quis paciscatur, ut res eius propter aliquam obligationem sint hypothecae nomine obligatae. Nec ad rem pertinet quibus sit verbis: sicuti, est (et) in his obligationibus, quae consensu contrahuntur: Et ideo et sine scriptura si conuenit, ut hypotheca sit, et probari poterit, res obligata erit, de qua conueniunt. Fiunt enim de his scripturae, ut quod actum est, per eas facilius probari poterit: et sine his autem valet, quod actum est, si habeat probationem:*

(\*) L. 4. D. de pignoribus et hypothecis adde L. 2. C. quae res pignori obligari L. 4. D. de fide instrumentor.

## SECTIO II.

### DE PRAEROGATIVA HYPOTHECARVM PVBLICARVM ET TACITARVM SEC. IVS ROMANVM.

#### §. VIII.

*Hypothecae tacitae sunt publicae.*

Hypothecae legales, seu tacitae, vocantur, quas lex seu eius auctor, imperans nempe sine debitoris consensu constituit (§. 5.). Quicquid ab imperante est, vel ad eum se refert, publicum est (§. 7.). Inde hypothecae legales, seu tacitae, iure meritoque ad publicas referuntur, et recte se habent LEYSERI verba (\*): *Ius, quod lex ipsa, et auctor eius princeps constituit, non minus publicum est, quam id, quod magistratus inferior, minister legis et principis, condit, et fides publica magis forsan periclitaretur, si hi, qui legum auctoritate sub-*

*subnixi, se suaque debitori crediderunt, ab his, quibus iudex fa-  
uit, excluderentur.*

(\*) Specim. 226. m. 1.

§. X.

*Hypothecae tacitae quoad modum constituendi non sunt  
priuatae.*

Quamuis vero tacita pignora omnino sint publica, (§. 8.) non tamen desunt Icti, qui distinguunt, inter causam efficiendi et constituendi pignus, ac pignora tacita, quoad causam efficiendi publica esse, concedunt, negant vero, illa publicis annumerari posse, si constituendi modus spectetur (\*). Ast admodum subtilis est haec distinctio, nec perspicio, quare modus constituendi hypothecas legales dici queat priuatus, cum huiusmodi pignora per legem, sicque publice, constituantur (§. 7.). Et licet factum, ob quod lex hypothecam tribuit, sit priuatum, modus tamen constituendi non in facto, sed in ipsa lege, continetur. Equidem modum constituendi, quem publicum dicunt, in eo quaerunt, quod ius pignoris in instrumento publice confecto, vel trium probatae fidei virorum subscriptionibus munito, nitatur. Ast scriptura non tam pignus constituitur, quam constitutum probatur (§. 8.). Et si vel maxime scriptura inter modos constituendi referri posset, hicce tamen modus ad pignora conuentionalia solum pertineret, et ad tacita adplicari non posset, quippe quae hoc sensu nec publica nec priuata forent (\*\*).

(\*) I. H. BOEHMER *disp. de praerogativa hypothecarum public. cap. 1. §. 5. 6.*

(\*\*) WESTPHAL *Erläuterung der Römischen Gesetze von Pfand-Recht. §. 167. n. 185.*

§. XI.

## §. XI.

*Hypotheca expressa prae tacita nulla gaudet  
praerogatiua.*

Iure Romano tacita hypotheca cum expressa iure censetur aequali, nec inter utramque vlla est praerogatiua, nisi ex prioritate temporis, vel singulari priuilegio (\*). Sic respublica, cui fundus expresse est obligatus, praefertur fisco tacitam hypothecam posteriorem habenti, quia respublica prior tempore potior est iure (\*\*). Simili modo fiscus, qui prius habet pignus tacitum, praefertur illi, cui constituta est hypotheca posterior expressa (\*\*). Nullibi leges hypothecae expressae prae tacita, aut huic prae illa, tribuunt praeferentiam, nec ex qualitate hypothecarum, sed, vel ex temporis prioritate (\*\*), vel ex speciali priuilegio, earum aestumant praerogatiuam. Nec paritas iurium, quam leges expressae et tacitae tribuunt hypothecae, sua desinitur ratione. Nam actum esset de securitate hypothecarum tacitarum, quibus leges creditoribus prospiciunt, si debitor per constitutionem hypothecae expressae creditori praelationem efficere posset.

(\*) A FABER *de error. pragmat. P. I. decade 6. error. I. RICHTER de priuileg. creditor. cap. IV. Sect. I. n. 10. sqq. VOETIVS ad D. lib. XX. tit. 4. §. 28. HUBER ad D. lib. XX. tit. 4. §. 18.*

(\*\*) L. 4. C. *qui potiores in pignore.*

(\*\*) L. 28. D. *de iure fisci.*

(\*\*) L. 5. 8. 10. 11. D. et L. 2. 4. 8. 9. 14. C. *qui potiores in pignore.*

## §. XII.

*Expressa hypotheca posterior, licet publica, iure antiquo  
non praefertur tacitae.*

Hypotheca expressa prae tacita in regula non gaudet  
B prae-



praerogatiua, nisi ex priuilegio vel prioritare temporis (§. 11.) nec antiquiore iure Romano erat differentia hypothecarum expressarum, siue publice siue priuatim essent constitutae, et hypotheca tacita tempore posterior, quamuis in se sit publica, haud praefertur expressae antiquiori, nisi singulari praelationis priuilegio sit munita. Quale priuilegium e. gr. habent, qui pecuniam ad restitutionem aedificii crediderunt (\*), vt et vxores ratione dotis illatae (\*\*). Nec hypotheca expressa, licet publica sit, tacitae praefertur, nisi ex speciali priuilegio. Hoc deficiente, leges generatim pignora absque distinctione, publica sint an priuata, ex temporis prioritare locari iubent(\*.\*), imo iudiciales, sicque publica auctoritate constitutas hypothecas, priuatis anterioribus postponi faciunt(\*.\*.\*). Quod et iuris analogiae conuenit. Nam oppigneratio alienationem, ad quam via est, imitatur(†). Alienatio vero, quae priuatim fiebat, Romanorum iure aequae valida erat, ac illa, cui publica accessit auctoritas, nec is, qui iudice interueniente emerat, praerogatiua gaudebat prae illo, qui priuatim emit(††). Inde publica auctoritas pignori, cui accessit, prioritatem haud tribuebat iure antiquo.

(\*) L. 1. D. in quibus causis pignus vel hypoth. L. 5. seqq. D. qui potiores in pignore.

(\*\*) L. 12. C. qui potiores in pignore.

(\*.) L. 10. 11. 12. D. et L. 4. 8. C. qui potiores in pignore.

(\*.\*.) L. 10. D. eodem.

(†) L. 9. §. 1. D. de pignoribus L. 1. D. quae res pignari vel hypothecae.

(††) L. 17. C. de fide instrumentorum.



## §. XIII.

*Constitutio Leonis causam hypothec. tacitarum reddidit  
dubiam.*

Iure Romanorum antiquo, illo nempe, quod annum CCCCLXIX. antecedit, pignora quidem expressa aequae ac tacita fuerunt cognita (\*), aut publica auctoritas illis nullam tribuebat praerogativam (§. 12.). Posteaquam vero imperator LEO singulari Constitutione creditores, quorum ius pignoris, vel hypothecae, instrumentis publice confectis nititur, praeponi iussit, etiamsi tempore posteriores sint (\*\*), causa hypothecarum tacitarum evenit dubia, et quaestio, an praerogativa vtriusque, et publicae expressae et tacitae hypothecae a prioritatem temporis pendeat? ex utraque parte argumentis admodum speciosis est disceptata (§. 1.).

(\*) Quod docet historia pignorum tacitorum, quam sistunt WESTPHAL. *Erläuterung der Römischen Gesetze vom PfandRecht* §. 164. A. R. G. LISCHKE disp. de origine et aequitate tacitarum hypothecarum apud Romanos.

(\*\*) L. XI. C. qui potiores in pignore.

## §. XIV.

*Constitutio Leonis tria continet capita.*

Praerogativa hypothecarum publico instrumento firmatarum vnicuique ex constitutione Leonis imperatoris defendi potest. Verba huius constitutionis sunt sequentia (\*): *Scripturas, quae saepe adsolent a quibusdam secrete fieri, interuenientibus amicis, nec ne, transgendi, vel paciscendi, seu foenerandi, vel societatis coeundae gratia, seu de aliis quibuscunque causis, vel contractibus conficiuntur, quae ἰδιόχρηστα Graece appellantur;*

B 2

sive



sive tota series earum manu contrahentium, vel notarii, vel alterius cuiuslibet scripta fuerit, ipsorum tamen habeant subscriptiones, sive testibus adhibitis, sive non, licet conditionales sint, quos vulgo tabellarios appellant, sive non: quasi publice conscriptas, si personalis actio exerceatur, suum robur habere decernimus. Sin autem ius pignoris, vel hypothecae ex huiusmodi instrumentis vindicare quis sibi contenderit: eum, qui instrumentis publice confectis nititur, praeponi decernimus, etiam si posterior is contineatur: nisi forte probatae atque integrae opinionis trium, vel amplius virorum subscriptiones eisdem idiociribus contineantur. Tunc enim quasi publice confecta accipiuntur (\*\*). Contenta huius legis, quae multorum est verborum, ad tria redeunt capita. Quorum primum est: Si actio personalis exercetur, scripturae, de quibuscunque causis vel contractibus confectae, sive tota earum series manu contrahentium scripta, vel ab aliis conscripta, a contrahentibus autem subscripta sit, quasi publice conscriptae, suum robur habent. Secundo capite decernitur: Si ius pignoris vel hypothecae ex huiusmodi instrumentis quis sibi contenderit, is, qui instrumentis publice confectis nititur, praeponatur, etiam si posterior contineatur. Tertio additur: instrumenta probatae, atque integrae opinionis trium vel amplius virorum subscriptionibus munita, pro quasi publice confectis accipi debent.

(\*) L. II. C. qui potiores in pignore.


(\*\*) hanc legem verbaliter interpretatur WILH. LEYSER disp. ad L. scripturas II. C. qui potiores in pign.

### §. XV.

Ratio legis quaerenda in diuersa instrumentorum fide,  
quae explicatur.

Contenta legis paragrapho antecedente insertae docent,  
illam

illam proprie ad instrumentorum materiam pertinere, licet titulo Codicis, *qui potiores in pignore*, suum habeat locum. Ratio eorum, quae in dicta lege continentur, quaerenda est in fide instrumentorum publicorum et priuatorum diuersa. Recte enim iam annotauit perill. de PVFENDORF (\*): ex BALDVINO (\*\*): Romanos priuatis literis, singraphis, et chi-rographis, parum fidei tribuisse, adeo, vt earum literarum vix vlla vis, aut obligatio fuerit. Instrumentorum forma iure determinata erat, vt testium ac contrahentium signa et subscriptiones haberent. Forma seruata, instrumentum erat publicum, quae vero sine testibus et signis scripturae fiebant, *ιδόχιστα*, seu priuatae scripturae dicebantur (\*\*). Hae nihil momenti habebant, praesertim contra tertium, quod docent verba Pauli (\*\*): *Amplissimus ordo decreuit, eas tabulas, quae publici vel priuati contractus scripturam continent, adhibitis testibus, ita signari, vt in summa marginis ad medianam partem perforatae triplici lino constringantur: atque impostum supra linum cerea signa imprimantur, vt exteriores scripturae fidem interiori seruent. Aliter prolatae nil momentū habent.* Imo nec publica instrumenta simpliciter vim habebant probandi, sed necesse erat, vt testes et signatores illa recognoscerent. Si testes essent mortui, instrumenti vis probandi erat amissa (†), nisi forsan actis insertum, id est, a magistratu, postquam testes vocati subscriptiones et signa recognouerant, ad acta esset repositum (††). Recentiori iure remissa est signorum appositio, et nuda subscriptio testium trium probatae fidei virorum sufficere visa est, et huiusmodi instrumenta subscriptione solum munita quasi publica dicebantur. Vltorius adhuc processit imperator Leo, qui in nostra lege omnes scripturas a contrahentibus conscriptas vel



solum subscriptas, siue testes habeant, siue non, pro quasi publicis habendas esse, decernit, si ex his instrumentis actio personalis exercetur. Nihil vero mutatum est circa instrumenta, ex quibus ius reale vindicatur.

(\*) T. I. obf. 65.

(\*\*) *iure nouo* lib. I. in HEINECCII *thesauro iurispr. Rom. et Articae* T. I. p. 1040.

(\* \*) PARZIROLI *thesaurus variar. lect.* Lib. I. cap. 36.

(\* \*) *Senten.* lib. V. tit. 25. §. 6. apud SCHULTING *iurispr. ante-Iustin.* et apud HOMMEL *Palignesia* T. II. p. 265.

(†) L. 32. §. 1. D. *de furtis.*

(††) L. 6. C. *de re iudicata.*

## §. XVI.

### *Instrumenta priuata contra tertium vix probant.*

Ipsa quoque sana ratio docet, quod scripturis priuatis vix vlla obligandi vel probandi vis contra tertium adscribi possit. Nam omnis, quae scripturae in foro tribuitur vis probandi, ex eo est, quod illa vel confessionem scribentis, vel testimonium de veritate facti cuiusdam, contineat. Scriptura priuata continens confessionem facti cuiusdam, probat quidem regulariter contra scribentem, eosque, qui eius facta agnoscere tenentur, minime vero contra tertium in eius praeiudicium (\*). Simili modo attestatum priuatum seu scriptura de facto quodam testimonium sistens, si priuata est, in foro probat (\*\*). Scripturae vero publicae, a personis in officio publico constitutis confectae, de re ad officium pertinente, vel coram iis gesta, tanquam publica testimonia, in regula plenam habent fidem (\* \*).

(\*) Con-

(\*) Confessio enim propria, siue ore prolata, siue scripta sit, optima est probatio. L. 1. 4. 6. D. de confessis, minime vero tertio nocet. L. 6. §. 4. cod. L. 74. de R. I.

(\*\*) L. 5. 6. 7. C. de probationibus auth. si quis vult. cauze C. qui potiores in pignore. NOV. 73. c. 1. 2.

(\*\*\*) L. vlt. C. de re iudicata c. 2. X. de fide instrum.

### §. XVII.


#### *Primum caput Constitut. Leon. de fide instrum. priuatorum in actionibus personalibus.*

Si igitur tria nostrae legis capita (§. 14.) secundum principia exposita (§. 16.) examinamus, de ratione singulorum capitum facile constabit. Quod enim ad primum attinet, instrumenta, siue publica, siue priuata sint, si actio personalis exercetur, suum habent robur. Nam actiones personales aduersus eos solum, quibuscum negotium gestum est, quive eorum facta agnoscere tenentur, institui queunt. Si igitur ex instrumentis actio personalis contra aliquem exercetur, necesse est, vt vel ipse reus scripturam confecerit, vel alius, ex cuius factis reus obligatur. Vtroque casu confessionem, quam scriptura loquitur, scribens aequae ac alius, quem eius facta obligant, agnoscere tenetur, modo constet, quod scripserit. Inde scriptura, licet priuata sit, in actione personali suum habet robur.

### §. XVIII.

#### *Secundum caput, de fide instrum. in actionibus realibus.*

Alia vero ratio est actionum realium. Hae enim contra tertium instituuntur possessorem. Qui, si singularis est successor, factis antecessorum, sicque eorum scriptis confessio-  
nibus



nibus priuatis, in suum praeiudicium tendentibus, stare haut obligatur (\*). Et licet possessor causam a scribente habeat, sicque iura realia ab antecessore ante alienationem alteri concessa agnoscere teneatur, semper tamen praeiudicialis superest quaestio, an concessio iuris realis ante alienationem ab antecessore legitime sit facta? quae per scriptam antecessoris confessionem priuatam legitime haud probatur. Haec enim in nudo antecessoris facto nititur. Quod successorem singularem non obligat. Praesertim, cum hic omnia a temporis circumstantia pendeant, ex qua iudicandum est, an scribens tempore, quo ius reale, quod scriptura loquitur, concessit, adhuc fuerit dominus, et eius facta in praeiudicium alterius allegata valere possint? Quod iudem ex scriptura priuata sufficienter doceri nequit, quia in priuatis instrumentis tempus in fraudem aliorum facile potest retroferri. Inde in actionibus realibus contra eos, qui in publicis instrumentis nituntur, instrumentorum priuatorum valor recte negatur. Quod potissimum inter plures vsu venit creditores, qui ius pignoris et hypothecae ex instrumentis vindicare sibi contendunt. Inter hos enim vincit prioritas temporis (§. 11.). Haec vero contra eum, qui instrumentis publice confectis nititur, ex instrumentis priuatis minus recte demonstratur. Hinc bene in nostra lege constituitur: *Sin autem ius pignoris, vel hypothecae ex huiusmodi instrumentis vindicare quis sibi contenderit: eum, qui instrumentis publice confectis nititur, praeponi decernimus, etiamsi posterior is contineatur.* Nam confessio nocet contenti, non tertio (§. 15.), et scripturae priuatae, vt sunt legis verba: *haud raro secretae fiunt*, ideoque dies potest anteferri, quod tertio esse non debet detrimento. Ex quo satis constat de ratione, cur pignus,

gnus, quod publico nititur instrumento, praeferatur illi, quod ex priuato vindicatur. Quod si vero par sit creditorum conditio, ita vt omnium ius in fide debitoris priuata nitatur, illi quoque fidem, quam pro se allegant, contra se admittere, sicque prioritatem temporis, quam scriptura sistit, agnoscere tenentur, donec doceant, fraude quid gestum esse in eorum praeiudicium (\*\*).

(\*) L. 74. de Reg. iuris.

(\*\*) TVLDEN in comment. ad Cod. tit. qui potiores in pignore §. 9.  
PEREZ eodem n. 25. MEVIUS P. VII. dec. 129. n. 7.

### §. XIX.

*De tertio capite constitutionis, instrumentis nempe quasi publicis.*

Tertium nostrae legis caput disponit, vt instrumenta priuata, quibus probatae atque integrae opinionis trium vel amplius virorum subscriptiones continentur, quasi publice confecta accipiantur. Huiusmodi enim scripturae, trium vel quatuor virorum probatae atque integrae opinionis subscriptionibus munitae, non nudam scribentis confessionem, sed simul veritatis testimonium trium vel plurium integrae ac probatae opinionis virorum continent. Pro hocce testimonio praesumptio militat veritatis, quae fraudis suspicionem excludit, ideoque instrumentum, cui illud accedit, quasi publice confectum merito accipitur.

### §. XX.

*Constitutio Leonis ad eas solum pertinet hypothecas, quae ex instrumentis vindicantur.*

Nec ex verbis, nec ex ratione Constitutionis Leoninae  
C coll-



colligi potest, hypothecas publicas sine vlllo discrimine praeferendas esse priuatis, sed lex solummodo constituit, inter hypothecarios, quorum alii instrumentis publicis, alii priuatis nituntur, hos illis postponi debere. Clare hoc innuunt verba: *Si autem ius pignoris, vel hypothecae ex huiusmodi instrumentis vindicare sibi contenderit, eum, qui instrumentis publice confectis nititur, praeponi decernimus.* Pertinet igitur lex ad eos solum creditores, qui ius pignoris vel hypothecae ex instrumentis vindicant. Iam vero scriptura et instrumentorum fides nec ad constitutionem, nec ad constituti pignoris probationem, necessaria est, (§. 8.) ideoque dantur hypothecae, quae sine scriptura validae subsistunt. Quales sunt hypothecae tacitae, imo et expressae, sine scriptura coram testibus constitutae. De huiusmodi hypothecis, quarum probatio ex instrumentis haud desumitur, nil plane disponit constitutio Leonina, nec illis hypothecas, quae in publicis instrumentis nituntur, praeponi iubet, sed solum in casu, quo ii, qui in priuatis nituntur instrumentis, cum illis, qui ex publico instrumento ius pignoris vindicant, concurrunt, hos illis praeponi debere, decernit.

### §. XXI.

*Constitutio Leonis hypothecae publicae nullam prae tacita praerogatiuam tribuit.*

Cum igitur Constitutio Leonis imp. eos solum tangat creditores, qui ius hypothecae seu pignoris ex instrumentis vindicant (§. 20.), hypothecae vero tacitae, etiam sine instrumentis, lege constituantur et probentur; colligere licet, citatam Leonis constitutionem ad tacita pignora haud per-

ti-




tinere, nec publicis pignoribus praerogatiuam prae tacitis in dicta lege tribui (\*). Inde hypothecae tacitae in pristina manserunt integritate, et in concursu vtriusque, et tacitae et publicae hypothecae, vincit temporis prioritas, vel speciale priuilegium (§. 12.).

(\*) Quod iam obseruauit perill. de PFENDORF T.I. obs. 211. §. 3. verbis: *illud constare videtur, Leonem imperatorem hypothecis publicis prae legalibus praerogatiuam nullam dedisse, adeoque legales eodem, quo antea, ordine constituisse, vt publica eas non praecedat, sed utraque ex temporis prioritate aestumerur.*

### §. XXII.

*Argumenta eorum, qui hypothecarum publicarum defendunt praerogatiuam.*

Quamuis vero satis euidetum sit per allegatam Leonis constitutionem publicis hypothecis nullam prae legalibus tribui praerogatiuam, non desunt tamen, qui defendunt, Leonem imp., licet non expresse, tamen per consequentiam, publicis hypothecis dedisse praerogatiuam prae legalibus. Nam cum antea omnes hypothecae non priuilegiatae ex temporis ratione suum habuerint ordinem, Leo imp., dum priuatis praeposuit hypothecas instrumentis publicis munitas, legales in pristino reliquisse ordine videtur, ita vt pari cum priuatis iure sint aestumandae, sicque cum publicae hypothecae vincant priuatas, illae quoque vincant legales seu tacitas, pari ordine cum priuatis constitutas. Porro constitutionem Leoninam pro correctoria habent. Harum vero legum ea est indoles, vt quae expresse non sunt abrogata, in suo perdurent valore. Inde, cum ante consti-



tutionem Leoninam nulla hypothecarum tacitarum prae priuatis fuit praerogatiua, sed haec ex temporis prioritate vnice pendit; concludunt, tacitas hypothecas prae priuatis nullo gaudere praelationis iure. Quo magis vero de hac sententia iudicari queat, in eius fundamenta curatius erit inquirendum. Illa vero in sequentibus continentur propositionibus. 1) Constitutio Leonis hypothecas publicas indistincte praeponi iubet priuatis non priuilegiatis. 2) Hypothecas tacitas imperator in pristino reliquit ordine, ideoque cum priuatis pari iure censeari voluit. 3) Hypotheca publica, quia priuatam vincit, vincit quoque tacitam. 4) Constitutio Leonis est lex correctoria; quae 5) praerogatiuam solum tribuit pignoribus publicis, et quoad hypothecas tacitas pristinum ius non correxit, ideoque eas, ordine, quem antea habuerunt, reliquit. Singulas hasce propositiones nunc separatim examinabimus.

### §. XXIII.

#### *Refutatio primi argumenti.*


*Prima propositio, quae haec est, Constitutio Leonis hypothecas publicas indistincte praeponi iubet priuatis, aperte falsa est, et claris textus verbis repugnat. Nullibi in dicta lege distinctio inter publicas et priuatas hypothecas occurrit, sed vnice de vi probandi instrumentorum lex disponit, inter hypothecas, quae ex instrumentis publice confectis, et eas, quae in priuatis nituntur, distinguens, et has illis postponi debere, decernens. Nullibi constitutione Leonis sancitum legimus, vt hypotheca, quae publicis instrumentis continetur, praeferri debeat priuatae, quae non ex instrumentis, sed aliunde, veluti per testes classicos, pro-*

probatur. Hinc regula, quam de praerogatiua hypothecarum publicarum formant, non vniuersaliter sed eatenus solum vera est, vt in concursu publicorum et priuatorum instrumentorum, creditor, qui ius pignoris ex publico instrumento vindicat, sit praeponendus.

### §. XXIV.

#### *Refutatio secundi argumenti.*

*Alterum* argumentum est: *Leo imp. hypothecas tacitas in pristino reliquit ordine, quae proinde cum priuatis pari iudicandae sunt iure.* Ast iudem nec antecedens, nec consequens inde formatum, vniuersaliter verum est. Quamuis enim in lege nostra hypothecarum tacitarum expressa non fiat mentio, earum tamen prae priuatis praerogatiua ex verborum contextu et legis ratione potest defendi. Scripturae enim priuatae, quae antea nullius fere momenti erant, per Constitutionem Leonis in actionibus personalibus suum robur obtinuerunt (§. 16.). Econtrario, si ex instrumentis ius pignoris vel hypothecae vindicatur, regula iuris antiqui: quod instrumenta priuata contra tertium non probent, non est mutata. Nec sine iniuria mutari potuit, quia iniustissimum foret, si debitori permitteretur, per suam scripturam priuatam creditoris iuri nocere, quippe quod idem esset, ac creditoris iura debitoris arbitrio committere (\*). Hinc in vindicando pignore contra tertium, cuius ius hypothecae certum et indubitatum est, instrumenta priuata, ex quibus ius pignoris exercetur, nullum habere possunt valorem (\*\*). Inde, cum hypothecae tacitae ex lege sint certae et indubitatae, contra eos ius hypothecae, quod in



privatis instrumentis nititur, exerceri, easque vincere nequit. Sunt enim in sensu iuris Romani hypothecae privatae, quarum constitutio ex instrumento privato probatur (§.7.). Ex huiusmodi vero instrumentis privatis contra tacitam hypothecam prioritas temporis doceri nequit. Ergo falso assertitur, quod vi nostrae legis hypothecae tacitae cum privatis in pari relictæ sint ordine. Potius tacita pignora indistincte praeponenda sunt privatis.

(\*) L. 6. C. de probationibus et AVTH, huic legi subiuncta. HUBER praelect. ad Pand. lib. 22. tit. 4. §. 15. WISENBACH ad D. lib. 22. tit. 4. §. 23.

(\*\*) Non nova haec est sententia. Eam iam alii probarunt e. gr. DION. et IAC. GOTHOFREDVS in notis ad L. II. C. qui potiores in pign. GAIL. lib. II. obs. 25. n. 9. Equidem GOTHOFREDI sententiam aperte falsam declarat. BACHOVIVS in tr. de pignoribus et hypothecis lib. IV. cap. 9. ast nullas affert rationes sui asserti.

### §. XXV.

#### *Refutatio tertii argumenti.*

Falsitas tertiae propositionis, quod hypotheca publica vincat privatam, et sic quoque tacitam, patet ex iis, quae (§. 23. et 24.) iam demonstravimus. Hypotheca enim publica vincit solum eos, qui ex instrumentis privatis ius pignoris vel hypothecae persequuntur, non eos, qui aliunde, quam ex scripturis, suum ius deducunt (§. 20.). Inde nec hypothecam, quae lege, nec eam, quae coram tribus testibus, etiam sine scriptura, constituta est, vincit hypotheca publica. Et licet vel maxime hypotheca, quae ex publicis instrumentis probatur, vincat eam, quae in privatis instrumentis nititur,

titur, tamen et hanc vincit hypotheca tacita (§. 21.). Sicque fallum est, quod Leo imperator hypothecas tacitas in pari iure cum priuatis reliquerit et publica vincat tacitam.

§. XXVI.


*Refutatio argumenti quarti et quinti.*

*Quartam* propositionem, quod Leonina lex quoad iura hypothecarum sit correctoria, simpliciter nego. Nam Leo imp., dum hypothecas, quae in instrumentis publice confectis nituntur, praeponi iussit, antiquum ius non correxit, sed confirmauit. Iam ante Leonis tempora instrumenta priuata contra tertium nullum habuerunt robur. (§. 15. 16.). Potius ipsa recta ratio huiusmodi instrumentis priuatis contra tertium vim probandi denegat. Leo igitur, dum hypothecas, quae instrumentis publicis continentur, praeponi iussit, antiqua haud correxit iura. Exinde simul *quinta* et *ultima* propositio vim suam amittit. Cum enim Leonis constitutio circa hypothecas publicas ius antiquum in sua reliquit integritate, iure vero antiquo priuata instrumenta contra hypothecas tacitas nullum habuerunt valorem (§. 24.), sequitur, vt hypothecae tacitae, sicut olim, ita est post constitutionem Leonis, vincant priuatas.

§. XXVII.

*Ad reliqua argumenta, quae pro hypothecarum publicarum praerogatiua allegantur, respondetur.*

Praeter argumenta allata, alia adhuc pro stabilienda hypothecarum publicarum praerogatiua afferri solent. *Primo* enim



enim speciale priuilegium hypothecae publicae tributum et ad tacitas non extendendum, in L. II. C. *qui potiores in pignore* contineri sibi persuadent. *Deinde* fidem publicam, quam seruari, reipublicae valde interest, vrgent, et de ea actum putant, si publicae tacitis anterioribus postponerentur hypothecis. *Tertio*, pro sua sententia allegant, in hypothecis, quae non ex instrumentis publicis vindicantur, per simulationem et fraudem tempus posse anteferri, sicque iniquum fore, si hypotheca tacita, quae ex publicis instrumentis haud fundatur, hypothecae publicae praeponeretur. Hisce vero argumentis parum ponderis inesse videtur. Nam quod ad primum attinet, lex saepius citata vndecima speciale priuilegium, hypothecae publicae tributum, haud continet. Nam priuilegium est exemptio a iure communi. Legis vero dispositio, vt pignora, quae ex instrumentis publicis confectis vindicantur, iis, quae ex priuatis scripturis sunt, praeferantur, a iure communi non recedit. Potius communi iuri, imo rectae rationi, conuenit, vt iura, quae in publicis nituntur instrumentis, per priuatas scripturas a tertio confectas nec auferri nec infringi queant. Alterum argumentum a fide publica desumptum iudem nullius est momenti. Fides enim siue publica siue priuata sit, desiniente CICERONE (\*), est *dictorum conuentorumque constantia et veritas, seu, vt id fiat, quod dictum est*. Hinc fides publicae pignoris accedens id solum operatur, vt creditor pignus habeat verum, eiusque iure fruatur. Vt idem in pignore tacito seruetur, iubent leges, et fides, quam ipse imperans lege dedit, sanctior et magis publica est, quam illa, quae coram tabellione vel tribus testibus est cauta. *Tertio*, quod in priuatis instrumentis per simulationem et fraudem tempus

pus anteferri queat, est quidem verum; at exinde nil aliud sequitur, quam quod instrumenta priuata in praeiudicium tertii, qui in publicis nititur instrumentis, nullum habeant robur. Minime vero exinde, quod priuata instrumenta cedant publicis, argumentari licet, pignora tacita anteriora proponenda esse publicis.

(\*) de officiis lib. I, cap. 7.


§. XXVIII.

*An hypothecae coram tribus testibus sine scriptura constitutae sint quasi publicae.*

Cum hypothecae, quae instrumentis, trium testium habiliu subscriptiones habentibus, nituntur, sint quasi publicae, et praelatione gaudeant prae hypotheca, quae instrumento priuato continetur; noua oritur quaestio, annon etiam hypothecae coram tribus masculis plenae atque integrae fidei nulla interueniente scriptura constitutae, sint quasi publicae, ideoque praeponi debeant hypothecis, quarum ius, ex priuatis deducitur instrumentis? Nos cum aliis Ictis, probatae in foro auctoritatis (\*), affirmatiuam sententiam ex iuris Romani analogia defendi posse, persuasum habemus. Nulla enim sufficiens ratio dari potest, quare negotium trium testium subscriptione confirmatum magis publicum esse debeat, quam illud, cui tres testes masculi probatae fidei interfuerunt et de eo iuratum perhibent testimonium (\*\*). Nec ex Leonis constitutione demonstrari potest, quod hypotheca coram tribus testibus constituta, pro quasi publica haberi nequeat. Loquitur haec constitutio de instrumentis, et, dum asserit, quod instrumenta trium testium subscriptionibus mu-

D

nita



nita quasi publice confecta accipiantur, haec positio non inuoluit exclusionem alterius positionis, quod nempe hypotheca sine instrumento, aut coram tribus testibus habilibus constituta, sit itidem quasi publica. Deinde, si vel maxime concederem, ex mente legislatoris hypothecam sine instrumentis coram testibus constitutam pro quasi publica haberi non posse, exinde tamen non sequeretur, ut hypotheca sine scriptura coram testibus constituta postponenda sit hypothecae, quae ex instrumento quasi publico vindicatur. Nam supra (§. 20.) iam demonstrauius, Constitutionem Leonis, nec ad hypothecas sine scriptura constitutas pertinere, nec indistincte publicis hypothecis praeferebantiam dare prae priuatis antiquioribus. Equidem plures sunt (\*\*), qui sententiam nostrae contrariam defendere conantur. Eorum argumenta eo redeunt: I) in Lege II. C. *qui potiores in pignore* subscriptionem testium masculorum pro forma requiri, nec nudam hypothecae probationem desiderari, quia alioquin duo testes, etiam feminae, sufficerent; II) hanc formam imperatorem ideo determinasse, ut postea, moto concursu, qui celeritatem exigit, probationis circuitus euitarentur, III) actum fore de tota legis Leoninae dispositione, si hypothecae probatio per testes sufficeret. Minime vero haec argumenta ad deferendam sententiam, quam defendimus, nos commouere possunt. Quamuis enim ad I) concedere velim, subscriptionem testium masculorum ad formam instrumenti quasi publici, quod hypothecam continet, pertinere, illa tamen non praescripta est hypothecae constitutioni, nec in dicta constitutione legimus, hypothecas secundum hanc formam constitutas praeferrere debere hypothecis in praesentia testium constitutis. Inde quoque ad rem parum confert, siue te-

stes



stes masculos ad probationem hypothecae, siue solemnitatis causa, requiri statuas. Hoc vero certum est, ad fidem instrumento contra tertium conciliandam testes requiri, et feminas iure Romano ab huiusmodi ciuilibus negotiis esse exclusas (\*\*). Quoad II) vix probari poterit, imperatorem hypothecae quasi publicae, ideo certam dedisse formam, vt in concursu probationis circuitus euitarentur. Si haec ratio vera esset, omnem per testes probationem in creditorum concursu leges reiicere debuissent. Longe aliam suae dispositionis rationem imperator suppeditat: quod nempe scripturae priuatae saepe secrete fiant, ideoque fraudes intuitu temporis constitutae hypothecae committi queant. Haec ratio non cadit in hypothecas coram testibus sine scriptura concessas. Tandem ad III) legi sua stabit auctoritas, licet ficta praerogatiua publicae vel quasi publicae hypothecae prae illa, quae sine instrumentis in praesentia testium constituta est, non habeat locum (†).

(\*) GAIL lib. II. obs. 25. n. 10. MEVIUS P. VIII. decis. 361. CALCAEVUS consil. 29. decis. 13. MANTICA *de raris et ambig. conuention.* lib. XI. c. 24. n. 5. sq.

(\*\*) potius testes non minorem faciunt fidem, quam instrumenta L. 15. C. de *fide instrum.*

(\*\*\*) I. H. BOEHMER *de praerogatiua hyporbecarum publ.* cap. I. §. 8.

(\*\*\*) L. 2. de *regulis iur.* L. I. §. I. D. ad *Scrum Vellej.*

(†) nostram sententiam probant, imo duos testes iuratos sufficere statuunt MERLINUS *de pignor. et hyporbecis* lib. IV. tit. I. qu. 15. n. 32. RAFAEL FVLGOSVS consil. 133. BALDVS ad *L. scripturas* ANCHARANVS consil. 28. FRANCHIS *decis.* 95. n. 6. GAIL lib. II. obs. 25.



## §. XXIX.

*Hypotheca legalis accedens negotio de quo scriptura exstat priuata, non indistincte postponitur publicae.*

Quamuis vero, vt fatis iam demonstrauius, praerogatiua, quam Leonina constitutio hypothecis tribuit publicis et quasi publicis, vnice ad illas se referat hypothecas, quae ex scriptura vindicantur, ideoque pignora publica non indistincte sint praepnenda; negari tamen nequit, in tacitis hypothecis, licet ex ipsa lege sint, haud raro interuenire scripturam, eamque vel publicam vel priuatam. Inde quaestio oritur, an hypotheca accedens contractui vel negotio, de quo publicum exstat instrumentum, praeferenda sit hypothecae tacitae, quae accessit contractui vel negotio, quod in publico instrumento haud nititur. Affirmatiuam defendit I. H. BOEHMER (\*). Ast huic sententiae sine distinctione accedere, principia supra exposita non permittunt. Nam hypotheca, quae in publico instrumento continetur, iure Romano solummodo in concursu cum ea, quae ex priuatis instrumentis vindicatur, gaudet praerogatiua (§. 20.). Si igitur hypotheca tacita, vel plane non, vel non vnice ex priuatis instrumentis, sed aliunde deducitur, praelatio scripturae publice confectae competens locum habere nequit. Equidem lubenter concedo, contra eos, quorum ius in publico nititur instrumento, hypothecam, quae ex priuata deducitur scriptura, effectum habere non posse, quia in persequendo iure reali scripturae priuatae in tertii praeiudicium nulla inest vis probandi. Ast exinde argumentari non licet, quod hypotheca legalis accedens conuentioni, quam scriptura loquitur priuata, indistincte sit postponenda. Possunt enim, quae ad fundandum hypothe-  
cae


cae ius pertinent, aliunde, quam ex scriptura, quae conventionem loquitur principalem, probari, sicque defectus, quae intuitu hypothecae in scriptura sunt, suppleri, per testes nempe ac praesumptiones, imo certis in casibus per iuramentum. Hinc deficiente casu, quo hypotheca legalis ex priuata scriptura contra eum, qui illam ex publico habet instrumento, vindicatur, praerogatiua hypothecae publicae praetacita non potest locum inuenire.

(\*) *de praerog. hypothec. publ. cap. II. §. 15. sqq.*

§. XXX.

*An hypotheca tacita sit praeferenda illi, quae coram testibus, est sine scriptura, est constituta.*

Alia vero nunc oritur quaestio, an nempe hypotheca tacita sit praeferenda hypothecae, cuius constitutio sine scriptura coram testibus est facta, et per hos plene et legitime probata? Affirmanda videtur haec quaestio. Nam hypotheca tacita est publica, (§. 9. 10.) publica autem praefertur priuatae. At licet hypotheca legalis sit publica, hypotheca tamen publica prae priuata iure Rom. non indistincte (\*), sed tunc demum praerogatiua gaudet, si scriptura publica hypothecam continens concurrat cum hypotheca, quam priuatum loquitur instrumentum (§. 20.). In nostro vero casu non ex instrumentis, sed ex constitutione coram testibus facta hypothecae ius fundatur, ideoque applicari nequeunt, quae ius Rom. de publica constituit hypotheca. Supra quoque iam demonstraui, tacitas hypothecas, quamuis publicas, ante famosam legem *scripturas* cum hypothecis priuatim constitutis pari stetit iure et ordine, nec ullam inter utramque fuisse praerogatiuam, quam ex tem-



poris prioritatem vel singulari privilegio (§. 12.). Per Leoniam constitutionem tacitae hypothecae prae priuata, quae aliunde, quam per priuata instrumenta probatur, nulla datur praerogatiua. Hinc pristina iura suum retinuerunt valorem, et tacita hypotheca priuatae, quae non ex scriptura priuata vindicatur, haud praefertur.

(\*) Sic pignus iudiciale ex causa iudicati captum sine dubio est publicum, nihilominus tamen *VLPIANVS L. 10. D. qui potiores in pign. respondit. Si ex iure iudicatum et pignus ex causa iudicati, auctoritate eius, qui iubere potuit, captum est, privilegiis temporis fore potiores heredem eius, in cuius persona pignus constitutum.* Et nuda conuentione contracta hypotheca aequae valida declaratur ac illa, cui publica accessit auctoritas *L. 1. D. de pignor. action.*

### §. XXXI.

*An instrumentum priuatum in iudicio recognitum ratione hypothecae pari iure censeatur cum publico.*

An instrumentum hypothecam priuatam continens per recognitionem iudicalem vires publici instrumenti consequatur, ita ut pari cum publico iudicandum sit iure? Icti mirifice inter se dissentiunt (\*). In Francia affirmatiua sententia publicis constitutionibus est approbata (\*\*). Ibi enim ex omnibus chirographis nullam licet hypothecam continentibus agnitio et recognitio inducit hypothecam tacitam, et si expresse de hypotheca in instrumento est conuentum, tunc hypotheca priuato instrumento constituta demum vires accipit, et perinde est, ac si publico instrumento fuisset constituta, ac praefertur hypothecae priori constitutae in instrumento priuato nondum recognito. Magis vero dubia res est

est, si, deficiente legis dispositione speciali, ex iure Rom. decisio facienda est. Equidem extra dubium positum videtur, quod recognitio qualitatem instrumenti mutare, sicque priuatum in vere publicum transformare nequeat. Ast non minus certum est, quod instrumentum facta recognitione contra recognoscentem ratione probationis eosdem effectus, ac publicum, producat, et recte se habet Ictorum effatum (\*\*), instrumentum priuatum in iudicio recognitum habet auctoritatem publici. Facta igitur priuati instrumenti recognitione, hypotheca, quae in illo continetur, aequae certa et probata est, ac si desuper publicum exstaret documentum. Inde, cum hypotheca, quam publicum vel quasi publicum probat instrumentum, pro publica habeatur, et documentum recognitum aequae ac publicum probet; non sine ratione argumentari licet, hypothecam, quam instrumentum loquitur priuatum, a momento factae recognitionis cum publica iure stare aequali. Recte proinde habet sententia ANTONII FABRI (\*\*), sic scribentis: *Cum ita ius esset, ut pignoris quantumcunque expressi in chirographum collati nulla prorsus ratio haberi posset, propter fraudes, quas alioquin facile esset comminisci in necem anteriorum creditorum, nisi trium testium idoneorum subscriptio interuenisset, aequissimum sane fuit constitui, ut, a quo tempore fraudis suspicio prorsus cessat, id est, agnito demum et recognito chirographo hypotheca illa in eum usque diem inutilis vires suas extunc, ut loquuntur, exercere incipiat.* Sicuti vero recognitio suam vim contra recognoscentem eiusque heredes, non vero contra tertium in eius praeiudicium exerit (†), ita quoque valor, quem hypotheca ex instrumenti priuati recognitione sortitur, in tertii praeiudicium retrahi nequit ad illud tempus, quod scriptura loquitur, sed illa vim publicae hypothe-  
cae



cae solum habet a momento, quo recognitio est facta, nisi forsitan creditor, qui ius antea habet, ipse fateatur, hypothecam illo tempore, cuius meminit scriptura, esse constitutam, de quo casu COVARVVIAS (††). *Poterit hypotheca prior ex priuata scriptura probari et admitti contra instrumentum publicum, ubi, qui habet instrumentum publicum, fateatur, priuatam illam scripturam confectam fuisse a parte tempore illo, cuius scriptura meminit. Nec hoc potest dubium videri.*

(\*) Affirmatiuam defendit MERLINUS de pign. et hypothec. lib. IV. tit. I. qu. 15. n. 4. FABER in C. tit. quibus causis pignus def. 8. Negatiuam habet a SANDE decis. Frisc. lib. III. tit. 12. def. 13, 15. adde SCHWEDER de pignore publico §. 12.

(\*\*) a SANDE decis. Frisc. lib. III. tit. 12. def. 13. FABER de error. pragm. decad. I. errore I. GRIVELLVS decis. 27.

(\*\*\*) VD. ZASIVS lib. I. consil. 6. n. 10. WESENBECIVS Consil. 3. n. 33. COLER de process. excur. P. III. cap. I. n. 98. seqq.

(\*\*\*) de error. pragm. dec. I. err. I.

(†) arg. L. 74. de Reg. iur.

(††) pract. quæst. cap. XXII. n. 5.

### §. XXXII.

*Ex dictis explicatur sententia de praerogatiua hypothecarum publicarum et tacitarum.*

Ne vero diutius, quam par est, iuri Rom. immoremur, vela contrahimus, et nostram de praerogatiua hypothecarum publicarum et tacitarum sententiam ex iis, quae hactenus in medium attulimus, breuiter explicamus. Summa nostrae sententiae eo redit. Hypothecae publicae prae tacita nec ex L. II. C. qui potiores in pignore, nec ex alia quadam lege

Roma-

Romana praerogatiua competit (§. 20. 21.). Hinc praeferen-  
 tia vtriusque et publicae et tacitae hypothecae iure Romano  
 ex communi pignorum iure aestumatur, sicque illa vel ex  
 speciali priuilegio, vel ex temporis prioritare, determinatur  
 (§. 11.). Tempus vero constitutae hypothecae contra eum,  
 cuius ius in publico instrumento nititur, ex priuatis instru-  
 mentis, quae ob fraudis suspicionem in praecudicium tertii  
 nullius sunt fidei, probari nequit (§. 16.). Bene vero pro-  
 batio per confessionem propriam creditorum publicorum, per  
 testes, et sufficientes praesumptiones admittitur (§. 28. 31.).  
 Si aliunde, quam ex priuatis instrumentis de tempore consti-  
 tuta hypothecae certo constat, tunc inter tacitas et expres-  
 sas (§. 11. 30.), publicas et priuatas hypothecas quoad effe-  
 ctum praelationis nulla est differentia, sed omnes vel ex spe-  
 ciali priuilegio, vel ex temporis antiquitate, locantur. Credi-  
 ditores, qui ius hypothecae ex priuatis instrumentis deducunt,  
 postponuntur omnibus, quorum ius hypothecae tam in se,  
 quam ratione temporis, quo constitutio facta, vel ex publi-  
 cis instrumentis vel ex lege, vel per testes, certum indubita-  
 tumque est. At inter se creditores hypothecarii, qui in pri-  
 uatis nituntur instrumentis, eatenus sunt paris conditionis,  
 vt omnes fidem debitoris, quam per acceptationem instru-  
 menti priuati probarunt, agnoscere, sicque confessionem et  
 temporis prioritatem, quam instrumentum loquitur, contra  
 se admittere teneantur.

SECTIO III.

DE PRAEROGATIUA HYPOTHECAE PUBLICAE ET TACITAE  
 PRAE PRIVATA SECVNDVM IVS GERMANICVM.

E

§. XXXIII.



## §. XXXIII.

*Germani ratione hypothecae mobilium, minime vero in immobilibus retinent ius Rom.*

A principiis iuris Romani sectione antecedente expofitis magnopere differunt iura plerarumque Germaniae provinciarum. Equidem quoad mobilium hypothecam nihil fere mutarunt iura patria, dum in mobilibus extraiudicialis oppigneratio aequè valida eſt, ac iudicialis, et haec nulla prae illa gaudet praerogativa (\*), ſed utraque ex prioritate temporis, vel ſpeciali privilegio, ſuum ſortitur locum (\*\*). In eo quoque iuris Romani uſum haud nego, quod is, qui in publicis nititur instrumentis, praepoſendus ſit ei, cuius ius ex privatis deducitur ſcripturis (\*\*).

(\*) In Saxonia res certa eſt. I. P. S. lib. I. Art. 2. *Conſtit. Eleſt. Sax.* P. 2. *Conſt.* 23. *Ord. iud. Gorhana* P. I. c. 18. §. 9. *Iſenacens. ord.* p. 186. *Ordin. proc. Magdeb.* c. 49. et 3. §. 47.

(\*\*) MOLLER lib. I. Sem. 3. CARPZOV P. II. *Conſt.* 23. def. 9. RICHTER *de priuil. creditor.* c. 4. diſt. 2. n. 130. ILL. PRAESIDIS *diſp. de hypotheca mobilium.* c. III. §. 4.

(\*\*\*) MEYIVS *ad ius Lubec.* lib. III. tit. IV. art. I. n. 17.

## §. XXXIV.

*Hypotheca immobilium iudicis auctoritatem requirit.*

Alia vero eſt ratio hypothecae, quae in immobilibus conſtituitur. Haec enim, niſi iudiciali auctoritate ſit munita, in plerisque Germaniae partibus nec hypothecae publicae, nec iuris realis, contra tertium habet effectus. In eo enim omnium



omnium fere Germanicarum prouinciarum iura conueniunt, vt rerum immobilium dominia non nisi magistratus auctoritate accedente transferri queant (\*). Vestigia huius iuris in antiquissimis Germaniae legibus iam deprehendimus (\*\*). Haec media aetas sancte seruauit (\*), et recentiores leges prouinciales expresse confirmarunt (\*). Et cum oppignatio sit via ad alienationem (†), et conditionatam inuoluat alienationem; leges iudicis auctoritatem, quam in alienatione desiderant, in oppignatione quoque immobilium ad effectum hypothecae publicae, et producendi ius reale contra tertium, necessariam esse statuunt.

(\*) PERILL. A PVENDORF. T. I. obs. I. A SENCKENBERG *elem. iurispr. Germ.* lib. I. cap. V. §. 6. a LEYSER sp. 446. m. I.

(\*\*) *Lex Salica* tit. 63. *Lex Ripuaria* tit. 59.

(\*\*) *Ius Sax. prou.* artic. 9. 18. 51. *Ius prou. Suenic.* cap. 23. §. fin. et c. 312. apud KOENIG A KOENIGSTHAL *corp. iur. Germ.* T. II. p. 312.

(\*\*\*) Sat longum catalogum legum prouincialium in alienandis bonis immobilibus iudicis auctoritatem requirentium sistit IAC. GOTTL. SIEBER in *diff. an ex confirmatione hypothecae iudex ad id, quod inter-est teneatur* in §. I. nota a).

(†) L. fin. C. de rebus alienis non alienandis.

### §. XXXV.

*Afferta anteced. Sphi confirmantur per ordinationes prouinciales.*


Quo magis vero constat de veritate nostri asserti, quod nempe apud nos hypothecae iudicis auctoritate firmatae solum iure hypothecarum publicarum fruuntur, illam quarundam ordinationum, tam prouincialium, quam statutarum, dispo-



dispositionibus confirmare, non erit inutile. Et quidem, quod ad ordinationes provinciales attinet, ius provinciale BAVARICVM (\*) disponit: Ob zween oder mehr zu krieg kommen, umb pfandschafft, die ihnen mit denen Rechten eingewortet sind, doch ihrer keiner zur Zeit, wann si des Vorgangs halber zu Stritt kommen, das Pfand wircklich besitzt vnd inn hat, haben sie GerichtsBrief darumb, so soll der vorgehn, der die ältern Brief hat. Haben aber jhr etliche Brief, und die andern nit, so kan derjenig, welcher nit Brief hat, anders nit weisen, daß ihm das Pfand vor den, oder denen, die Brief darumb haben, mit Recht eingewortet worden sey, dann mit dem Richter, oder dreyen Mannen, oder wo er die nit gehaben mag, mit zweien, doch daß vnter denselben zweien der Fronbott einer sey, die da mit ihme schwören, daß ihnen solches kund vnd wissend sey. Iure prov. PALATINO (\*\*\*) legimus: jedoch ordnen und wollen wir, so Jemand ein liegend Gut gegenwärtig oder zukünftig vor eine Schuld zu Pfand einsetzen, oder ein Zins darauf schlagen wolt, daß solches nicht anders gelten, noch kräftig seyn soll, es werde dann solch Verpfändung oder Zinsverschreibung, wie oben von Verkauf liegender Güter disponiret worden, zuvor in ieden Orts Gerichtbarkeit eingeschrieben: Iure SAXONICO ELECTOR. (\*\*\*) cautum est: unbewegliche Güter sollen vermöge landüblich Sächsischer Rechte vor der Obrigkeit und Gerichten, darunter sie gelegen, verpfändet, und daselbst insinuiret, oder Gunst darüber ausgebracht werden, sonst ist dergleichen Verpfändung unkräftig. Quo cum conveniunt ordinationes SAXONICAE DVCALES (\*\*\*) ANHALTINA (†) et MAGDEBURGICA (††) Ordinatio concursus et hypothecarum BORVSSO BRANDENBURGICA §. 1. constituit: müssen alle Verpfändungen der unbeweglichen Güter bey

bey den Gerichten, unter deren Jurisdiction das Grundstück ge-  
 legen, in das HypothekenBuch bey Verlust des VorzugsRechts  
 auch in Gegenwart der creditorum eingetragen werden. Quod  
 eo declarat CODIX FRIDERICIANVS (†††). Zur dritten Classe  
 gehören dieicnige Creditores, welche ihre SchuldForderung oder  
 Recht in das HypothekenBuch eintragen lassen; und geben diese  
 allen Creditoren, welche nicht zu denen beyden vorigen Classen  
 gehören, sie mögen nebst der Hypothec ein priuilegium persö-  
 nale haben, und iudiciales seyn oder nicht, vor: Allermaßen  
 in so weit die vorige HypothekenOrdnung hierdurch geändert  
 wird. Denn da die HypothekenBücher dieserwegen eingeführet  
 worden, damit ein ieder, welcher Geld auf ein Guth leihen, oder  
 seine Sicherheit wegen einer Ebestiftung, Vormundschaft &c. ha-  
 ben will, vergewissert seyn möge, ob und was vor Schulden auf  
 den Gütern haften; so würde die HauptIntention derer Hypothe-  
 quen-Bücher wegfallen, wann die stillschweigende Hypotheken,  
 Domina reservata, iura separationis, fideicommissa familiae,  
 dos, pia causa &c. worvon in den SchuldBuch keine Nachricht  
 vorhanden, vorgeben sollten; in mehrerer Erwegung, da der-  
 gleichen Creditores sich selber imputiren müssen, daß sie ihre iura  
 nicht gleichfalls eintragen lassen, und ihre Sicherheit dadurch ge-  
 sucht haben. In corpore CONSTIT. CALENBERGIC. (††††) le-  
 gimus: Setzen ordnen und wollen, daß von nun an überall keine  
 bürgerliche Häuser, Aecker, Garten, Wiesen oder andere unbe-  
 wegliche Bürger-Güter an Jemanden anders, es mag derselbe in  
 oder außerhalb der Stadt, oder unter einer benachbarten Amts-  
 oder Gerichtsjurisdiction oder auch außerhalb Landes wohnhaft  
 seyn, ohne Vorwissen und vorher gegangener Anmeldung an die  
 ordentliche StadtObrigkeit, unter deren Jurisdiction oder in deren  
 Feldmark das zu veralienirende Stück belegen, veräußert, ver-





kauffet, vertauschet, versetzet, denen Töchtern in Dotem mit gegeben, oder sonst einig*es* ius in re, unter was vor einen Vorwand auch solches geschehen mag, transferiret werden solle, mit dem Anbange: daß alle solche heimliche gegen diese Unsere gnädigste Verordnung vorgenommene actus alienationis, wann auch solches gleich etliche Jahr nachber an den Tag käme, für Null, nichtig und ungültig erkläret, cassiret und gänzlich aufgehoben werden sollen. In terris BRUNSVICO - EVELPHERBYT: (a), sollen alle Kauffbriefe, Ebestiftungen, Verträge und dergleichen Contraße den Fürstl. Aemtern und Gerichtsherrn vorgeleget und von denselben - - befüriget, sonst aber darüber nicht gehalten werden. Quod deinde per constitutionem specialem de 2ten Decembr. CIOIOCCXLIV. ad hypothecas extensum. De Austria testantur GAIL (b) et SCHWARZENTHALER (c), quod ibi optima consuetudine receptum sit, vt hypotheca in iudicio constituatur et ad acta publica referatur, nec valeat priuata scriptura, etiam testibus subscripta et sigillo corroborata in praeiudicium habentis hypothecam publicam, etiam multo tempore posteriorem. In Bohemia et Moravia hypothecarii, quorum hypotheca inscripta est tabulae prouinciali, in der LandTafel, praeferuntur reliquis omnibus, etiam legalibus, hypothecis (d). IVRE WVRTENBERGICO (e) sanctum legimus: welcher ein liegend Gut um Schulden einsetzt, und verunterspfändet, der soll dasselbe zum wenigsten in das Gerichtsbuch einsehreiben lassen - - sonst, wann anderst gehandelt wird, soll die Verpfändung keine Krafft haben. Plura hic addere, limites dissertationis non ferunt, hinc reliquas ordinationes, quae iudiciales solum hypothecas pro publicis declarant, quasue inspicere licuit, in nota (f) allegamus.

(\*) Ius prouinc. Bavaricum p. 276.

(\*) Chur.

(\*\*) *Churfürstliches LandRecht* P. II. tit. 16.

(\*\*) tit. 46. §. 2.

(\*\*) *Gorhaische ProceßOrdnung* P. I. c. 18. §. 9. *Eisenachische ProceßOrdnung* p. 187. *Altenburgische ProceßOrdnung* P. I. c. 37. §. 15.

(†) *ord. ou. Anhaltina* tit. 17. §. Ob wir wohl.

(††) *ca. 49. §. 46. Weil nach des Herzogthums Magdeburg-Rechten eine ausdrückliche Hypothec auf unbewegliche Güter gerichtl. - - erlangt werden muß, so hilft es einem Gläubiger weiter nicht, als daß er allen denen Chirographarien vorgezogen wird, wann er schon eine extra judicial Verpfändung von 2. oder 3. Zeugen neben dem Schuldner hatte unterschreiben lassen.*

(†††) P. IV. Tit. 9. §. 68.

(††††) *Tom. II. p. 633. et 897. quocum conuenit dispositio Corp. Constit. Cellens. T. III. c. 4. V. I. cap. 2.*

(a) *Allgemeine LandesOrdnung* §. 15.

(b) *lib. II. obf. 25.*

(c) *de pignor. et hypothecis* cap. 16. §. 34.

(d) *Crida Ordnung des Königreichs Böhmen und Herzogthums Mähren apud WEINGARTEN cod. Bob. Moraviae* Sil. p. 228.

(e) *Württembergisches LandRecht* P. II. p. 230.

(f) *Erzstifts Cöllnische RechtsOrdnung* tit. 13. §. 1. *Dietmarisches LandRecht* p. 141. *Hohenlobisches LandRecht* P. III. tit. 16. §. 5. sqq. *Solmisches LandRecht* P. II. tit. 15. §. 1. *Maynzische Verordnungen wegen der Stadt Erfurth* p. 231. *Schaumburgische PolicyOrdnung* c. 26. *Cod. Const. Oldenburg* P. II. n. 65. *ChurCöllnische Herzogthums Westphalen PolicyOrdnung* tit. 26. §. 1. *Brandenburg-Onolsbachische ConcursOrdnung de 1731* tit. 3. §. 1. p. 23. *Corpus Constit. Brandenburgico-Culmbacensium* P. II. vol. I. p. 187. et 217. *Badisches LandRecht* P. IV. tit. 16. §. 2. *LandRecht des Erzstifts Trier* tit. 13. §. 2. *Mecklenburgische PolicyOrdnung* *Titul von Verschreibung der Häuser und anderer Güter.*

§. XXXVI.



## §. XXXVI.

*Statuta, quae nostrum confirmant assertum.*

Porro quoque statuta plerarumque ciuitatum Germanicarum, tam S. R. I. liberarum, quam municipalium, in eo conspirant, quod sola hypotheca coram iudice constituta iure publicae hypothecae gaudeat. Ex pluribus vnum vel alterum locum pro confirmanda nostra sententia adducere licebit. Speſtant huc potissimum Statuta HAMBURGENSIA (\*), quae disponunt: *Unbewegliche Erbe und Zinſe ſollen für ſitzenden Rath in offener Audiens verlaſſen und aufgetragen werden, und was alſo für den Rath verlaſſen und in das StadtBuch geſchrieben wird, da gebet kein Zeuge über et Porro: ſoll zuſörderſt, was vor den Rath verlaſſen, und in das StadtBuch verzeichnet worden, allen andern Verpfändungen, ſo nicht vor den StadtRath beſcheben, und eingeſchrieben, vorgezogen werden, nach dieſen ſollen alle andere Gläubigere, deren Schulde im StadtBuch nicht vergewiſſert, und doch entweder ausdrücklich beſdingte, oder ſillſchweigende Verpfändung haben, nach eines jeden dato bezahlet werden. Similiter ius LVBERGENSE (\*\*)* de hac re ſequentia habet verba: *Will Jemand ſeine liegende Gründe verpfänden, der ſoll es thun vor den Rath, ſo iſt es kräftig und beſtändig. In ſtatutis FRANCOVRTENSIBVS (\*\*)* ſequentia leguntur: *Auf meloberley Weiſß ſolche Verpfändungen, und Inſätze, wöllen geſcheben: So ſollen ſie allwegen in vnſerer Canzley, vor vnſern Bürgermeiſtern, beyden, oder jbrer einem, und ſonſt nirgendſwo, geſcheben. Würde ſolches überfahren, ſo ſollen ſolche Inſätze vnkräftig und nichtig ſeyn, auch in Recht darauf nichts erkannt werden. Statuta MEMMINGENSIS (\*\*\*)* cauent. *Sollen all- und iegliche Brief, Uebergaben, und*

und Verschreibungen, darinn Güter bie in Unserer Stadt Steuer und Ectter gelegen, und gehörig, veräußert, verkauft, vergeben, verpfändt, oder in andere Wege, wo sich das fügte, um Zinß oder Schulden, verkümmert, übergeben, und verschrieben werden, allein bey dem Herrn Canzley Directore hier geschrieben, und gefertigt, und die Befiegung derselben auf dem Herrn Stadt-Amtmann oder seinen Verwesern allhier gestellt, auch von Canzley wegen die Gebühr hierunter dahin beobachtet werden, daß bey ieden alienirenden GrundStück zu Erlangung der Wissenschaft, die darauf versicherte Gläubigere citiret werden müssen, um entweder die Baarschafft von den Käufer erheben, oder durch die Uebernahm des Käuffers eine Hypothec sich auf diesen constituiren lassen zu können. Welche hingegen derley Verschreibungen, Uebergabs- und andere Briefe auf eine andere Weise ausfertigen, und besiegeln lassen wurden, sollen beyderseits HauptContrahenten sowobl, als der Siegler, und Schreiber, auf den Betretungsfall Einen WohlLöbl. Rath angezeigt, und von demselben zu gebührender Strafe gezogen werden; wie dann auch solebe Briefe und Siegel, die nicht in der Canzley geschrieben, oder von den Herrn Stadt-Amtmann, oder dessen Verweser allhier gesiegelt und gefertigt worden wären, zu Erlangung eines dinglichen Rechts unkräftig und ungültig seyn sollen.

(\*) P. II. tit. 4. artic. I. §. 4. iuncta P. II. tit. 5. art. 1. §. 1. et 12.

(\*\*) Lib. III. Tit. 4. §. 1.

(\* \*) P. II. Tit. 18. §. 2.

(\* \*) Tit. 26. §. 3. 4.

### §. XXXVII.

*Ratio, ob quam iura patria a Romano recedunt.*

Ratio, ob quam patria iura iudicis auctoritatem ad hypothe-

F

pothe-



pothecae publicae constitutionem necessariam esse statuunt, in eo latet, vt debitores facilius fidem inuenirent et fraudes euitarentur. Praecauetur autem fraudibus, dum iudicis auctoritate securitati creditoris aequae, ac eorum, qui forsan futuro tempore rem titulo oneroso acquirere cupiunt, prospicitur. Et quidem creditori consulitur, dum hypotheca iudicis auctoritate constituta impedit, ne eadem res saepius obligetur pluribus, idque ultra veram eius aestimationem cum fraude aliorum, et ne occasio sit, publicam hypothecam priuatis pactis in anterius tempus simulate coniectis conuertere. Illis vero, qui rem emere, vel alio titulo oneroso acquirere volunt, statim manifestum esse potest, an res hypothecae sit supposita. Quod iis hancce affert utilitatem, vt contra creditores soluto pretio forsan superuenientes hypothecarios se in tuto collocare queant (\*).

(\*) Sic enim legislator *no* P. II. Constit. 23. und dieses hat vernünftige Ursachen, damit ein Gut nicht vielen verzezt, und also die Leute betrogen werden. In Constitutione, quae in corpore Constit. CALENBERG, T. II. p. 633. et p. 897. occurrunt, pro ratione traditur: auch wohl gar ein solches Stück verschiedenen Personen über seinen Werth unterpfändlich verschrieben - - unsere Absicht dabey zugleich auf Erhaltung guten Credits gehet, und wir dieienigen, so auf unbewegliche Bürger Güter ein ius in re erlangen, dadurch solchergestalt sicher zu stellen gemeinet sind, daß ihnen ein anderer nicht vorgezogen werden könne. Adde textum quem ex codice Fridericiano §. 35. inferui. CARPZOV resp. lib. IV. resp. 31. n. 5. sqq.

### §. XXXVIII.


*Inter hypothecam publ. Rom. et German. variae sunt differentiae et prima exponitur.*

Ex iis, quae haecenus dicta sunt, patet, hypothecam publicam, quam ex iure Rom. deducunt Icti, multis modis dif-



differre ab ea, quæ in plerisque Germaniæ prouinciis vsu seruatur. *Primo* enim ius Romanum ad constitutionem hypothecæ publicæ iudicis auctoritatem esse necessariam, nulli libi disponit, sed sufficit, hypothecam publicam contineri scriptura, siue a iudice, siue a tabellione confecta, vel a tribus testibus subscripta sit (§. 14.). E contrario Germanica iura fere omnia in eo conueniunt, vt hypothecæ conuentionales, quibus iudicis auctoritas non accessit, in numerum hypothecarum publicarum non sint referendæ, imo nec effectus iuris realis contra tertium producant (§. 35. 36.). Inde quoque hypothecæ coram notario, vel coram tribus testibus constitutæ, pro publicis haberi, et effectus hypothecarum publicarum producere nequeunt. An vero huiusmodi hypothecæ coram notario vel testibus constitutæ plane nullius sint vsus, de eo Ictorum sententiæ admodum sunt diuersæ. Eorum altercationes (\*) Augustus Saxoniae Elector sic decidit (\*\*). *Wann auch ein Gläubiger für zweien oder drey Zeugen, oder durch Aufrihtung eines Vertrags, so mit etlicher Händeler Siegel bekräftiget, hypothecam generalem oder specialem constituiren würde, so soll es auch für eine hypotheca geachtet, und allen chirographariis creditoribus vorgezogen werden. Quod deinde per decisiones Electorales (\*\*\*) eo declaratum est; daß eine solche Hypothec in unbeweglichen Gütern nach den priuilegiatis gesetzt und allen den Chirographariis vorgesezt, und weiter nicht extendiret werden soll. Quod et ordinationes Saxonicae ducales (\*\*\*) ac ordinatio Magdeburgica (†) probant. Cum igitur hypothecæ coram tribus testibus constitutæ post personaliter priuilegiatos in creditorum concursu locari, eiusque effectus vterius extendi haud debeant, sequitur, vt ex illis ius solummodo personale priuilegiatum*





enascatur, quod contra tertium rei possessorem exerceri nequit. In hisce hypothecis hoc singulare occurrit, quod nomen quidem hypothecae habeant, aut effectu iuris realis sint destitutae. Insuper adhuc notandum, quod hypothecae sine testibus, quae ex privato instrumento deducuntur, nullum plane valorem, et ne quidem praerogativam prae creditoribus mere chirographariis gaudeant (††).

(\*) de quibus vide SCHILTER ad *Pandectas exercit.* 33. §. 14. sq.

(\*\*) P. II. Const. 23.

(\* \*) *decis.* 60.

(\* \*) *Ordin. proc. Gothana P. I. c. 18. §. 10. ordin. proc. Isen. tit. 28.*

(†) cap. 49. §. 46. quem locum supra §. 35. nota (††) inferuimus.

(††) Legibus Saxonis non convenit sententia RICHTERI in *rr. de privilegiis creditor.* cap. V. n. 39. quamvis illa a L. II. C. *qui potiores in pignore non sit aliena.* Hanc tamen legem in Saxonia nullius fere usus esse, putat MOELLER lib. I. *Semestr.* cap. 3.

### §. XXXIX.

#### *Altera iuris Rom. et Germanici differentia quoad hypothecas publicas.*

*Deinde,* ius Romanum et Germanicum quoad publicas hypothecas differunt ratione finis. Nam ius Romanum publicam auctoritatem eum in finem desiderat, ut certo constet de constitutione hypothecae eiusque temporis, quo minus dies retroferri et in aliorum creditorum praeiudicium fraus fieri queat. Germani vero in hypothecis iudicialiter constituendis eum potissimum finem habent, ut rerum immobilium dominia et iura, quae iis inhaerent, sint certa et creditor aequae ac alii, in quos debitor res suas transfert, plenam habeant secu-


securitatem (§. 37.). Inde quoque in constitutione hypothecae publicae aliqualis requiritur causae cognitio. Quae eo potissimum dirigenda est, vt inuestigetur, I) an bona oppigneranda sint debitoris propria? et an illi libera disponendi et oppignerandi competat facultas? II) annon pro aliis debitis iam hypothecae nexui sint supposita? III) an sufficientem creditori praestare queant securitatem (\*)? De primo et secundo cognitionis obiecto facile constare potest ex libris iudicialiis, quos *Gerichts-Handels Bücher*, *Consens und Hypothecen Bücher* vocant. Vt vero de tertio obiecto, sufficientia nempe bonorum, certior fiat iudex, taxatio a scultetis vel aliis peritis fieri, vel ex documentis rei oppigneratae pretium doceri debet, nisi forsitan ipse creditor declaret, quod pro sufficientibus bona oppigneranda acceptare velit. Saepe quoque leges prouinciales cauent, ne iudex ultra duas tertias vel dimidiam partem veri pretii consentiat in hypothecam.

(\*) MEVIUS *ad ius Lubec.* lib. III. tit. 4. artic. I. n. 40. SCHWEDER *de auctoritate publica ad pignoris seu hypothecae constitutionem necessaria* §. 21. LINDEMSPÜHR, *ad ordin. Würtembergic.* p. 436.

### §. XL.

#### *Tertia differentia.*

Porro, ad hypothecae publicae constitutionem iure Rom. nec causae cognitio nec iudicis competentis auctoritas requiritur, sed eius confirmatio, si quam impetrare e re visum fuerit paciscentibus, a quolibet fieri poterat magistratu et iurisdictionis erat voluntariae. Apud nos vero hypotheca publica in rebus immobilibus praecise coram magistratu rei sitae competente, praevia causae cognitione (§. 39.), consti-



tui debet, ac proinde confirmatio hypothecae iudicialis inter actus mixtae iurisdictionis refertur. Satis haec confirmant legum textus supra adducti (§. 36. 37.) et securitas creditoris, cui iudex prospicere debet (§. 39.), causae cognitionem et iudicis competentiam reddit necessariam (\*).

(\*) CARPZOV Resp. lib. IV. Resp. 31. n. 18. lqq.

### §. XLI.

#### *Quarta differentia.*

*Quarto*, iure Romano diuisio hypothecae in publicam et priuatam, non ad omnes, sed ad eas, pertinet hypothecas, quae in scriptis continentur, nec publica hypotheca indistincte, sed tunc demum praefertur, si ius hypothecae ex priuato instrumento vindicatur contra eum, qui in publico niitur instrumento (§. 32.). Ast nostro iure distinctio hypothecarum in publicas et priuatas, non in iis solum, quas scriptura loquitur, sed in omnis generis hypothecis scriptis et non scriptis, expressis et tacitis, locum habere potest. Imo et hypotheca publica, siue scriptis contineatur, sine non praefertur priuatae.

### §. XLII.


#### *Differentia quinta et sexta.*

Insuper, apud Romanos pignus sit publicum per solam instrumenti illud loquentis ad acta insinuationem, nec vllibi iudicis confirmatio seu consensus requiritur. In plerisque vero Germaniae locis nuda ad acta insinuatio haud sufficit, sed necesse est, vt debitor coram iudice declaret, quod credi-  
tor

tori constituat hypothecam, simulque iudicem de illa confirmanda impleret, iudex vero sua confirmatione hypothecam corroboraret (\*). In pluribus quoque locis ordinatum est, vt approbata a magistratu hypotheca huius iussu ab actuario, seu alia persona iudiciali, inscribatur *dem ConsensBuche, Amts- oder StadtBuche, dem HypothecenBuche* (\*\*). Nec minus leges prouinciales interdum certam constitutioni hypothecae praescribunt formam. Sic iure HAMBURGENSEM requiritur, vt illa fiat: *für sitzenden Rath in offener Audiensz et inscribatur dem StadtBuche.* Iure LVBECENSEM oppignatio fieri debet: *für den Rath.* Ius Francofurtense iubet, vt hypotheca constituatur: *von unsern Bürgermeistern, beyden oder ihrer einen, und sonst nirgendwo* sub poena nullitatis. Iure MEMMINGENSEM disponitur: *dass die Verschreibung allein bey dem Herrn Cansley Directore geschrieben und gefertigt, und die Besiegung derselben auf den Herrn Stadt Amtmann oder seinen Verweser alhier gestellet werden soll,* sub poena nullitatis. (§. 36.). De Frisia scribit A SANDE: (\*\*\*) *registratiōi seu insinuationi haec forma est praescripta. Primo, vt ea fiat a Secretario vel eius amanuensi iurato, praesente vno ex Magistratu vel ex Iudicibus. Secundo, vt speciales hypothecae in loco iudicii, sub quo bona sita sunt, generales in loco domicilii debitoris insinuentur. Haec forma, vti a lege municipali praescripta ad vnguem et praecise est obseruanda, alioqui insinuatio pro non facta habetur. Forma a lege praescripta, si curate non est seruata, hypotheca iuris realis effectum haud producit.*

(\*) Perill. de PVENDORF T. II. obs. 160. T. IV. obs. 260. §. 4.6. perill. STRVEEN *rechtl. Bedenken* T. II. *Bed.* 100.

(\*\*) quomodo huiusmodi libri confici debeant, docet *die Königl. Preussische allgemeine Ordnung, wornach die Land und HypothecenBücher über un-*  
weg-



wegliche Güther, zur Sicherheit der Eigenthümer und Creditorum einzurichten sind d. d. Berlin den 4ten August 1750. M. XLII corp. const. Marchic. n. 103. p. 260-286.

(\* \*) *decis. Fris.* lib. III. tit. 12. def. 15.

### §. XLIII.

#### *Differentia septima et octava.*

*Septima differentia iuris Romani et Germanici in eo se exferit, quod iure Romano publicae hypothecae constitutio fit actus mere facultatis, ideoque quocunque loco et tempore fieri queat. Apud Germanos vero in plerisque provinciis hypothecae constitutio aliqualem causae cognitionem requirit, (§ 40.) ideoque in loco iudicii, die causarum cognitioni vacuo, fieri debet. Tandem iure Romano iudex coram quo hypotheca constituitur, securitati creditoris consulere eique prospicere, haud tenetur, sicque conveniri nequit a creditore, licet res oppignerata sit aliena, aut hypothecis ultra verum pretium iam onerata. Apud nos vero iudicis cura eo extendi debet, ne fraus fiat creditori, nec res aliena, nec ultra modum incio creditore oneretur. Iudex quoque, si eius dolo vel culpa ex hypothecae constitutione creditor damnum patitur, de eo respondere et satisfacere tenetur (\*).*

(\* ) I. G. SIEBER *dissert. an ex confirmatione hypothecae iudex ad id quod interest teneatur.*

### §. XLIV.

*Ius Romanum novas hypothecae species introduxit, de quarum praerogativa agitur.*

Quamvis vero in plerisque Germaniae territoriis hypothecae ex iudiciali auctoritate suum sortiantur valorem, simul tamen

tamen cum iure Romano aliae hypothecarum species sunt  
 receptae. Habemus enim in nostris foris I) hypothecas iu-  
 dicialiter confirmatas seu consensuatas, II) iudiciales in spe-  
 cie tales, III) praetorias, quorsum et illae referuntur, quae  
 IV) per impositionem arresti impetrantur, V) hypothecas  
 tacitas tam simplices, quam priuilegiatas, vt et VI) tales,  
 quae in instrumentis publice confectis, vel quasi publicis  
 nituntur, vt et VII) mere priuatas. Tam diuersae hypothe-  
 carum species in concursu creditorum, si de earum loco  
 agitur, saepe dubia haud leuia excitant. Quae, nisi leges  
 prouinciales illa remoueant, rem admodum reddunt incer-  
 tam. Nam vulgaris a Ictorum schola recepta regula, quod  
 nempe pignora publica praecedant priuatis, ambiguitatem  
 non tollit, quia diuisio in pignora publica et priuata iure  
 Romano non ad omnia, sed ad ea solum applicari potest,  
 quae in scriptis continentur. Iura vero patria non omni-  
 bus, sed iudicis auctoritate firmatis, hypothecis praerogati-  
 uam tribuunt. In re tot obnoxia difficultatibus mea eo  
 redit sententia. Hypothecae iudiciali auctoritate munitae,  
 quorsum non solum confirmatas, sed quoque iudiciales stri-  
 cte tales et praetorias refero, iure meritoque praefereuntur  
 extraiudicialibus, in publico licet instrumento constitutis,  
 quia ex analogia et harmonia legum patriarum ad alie-  
 nationem aequae ac oppignerationem iudicis necessaria est  
 auctoritas. Extraiudiciales vero, si de iis instrumenta ex-  
 stant publica, praerogatiua gaudent prae mere priuatis, nisi  
 forsitan leges prouinciales iis omnem iuris realis effectum de-  
 negent. Nam deficiente lege patria, valet ius Romanum in  
 subsidium.



## §. XLV.

*Hypothecae tacitae aequali iure aestimantur cum iudicialibus, nisi leges provinciales obstant.*

Tandem adhuc superest quaestio de loco hypothecis tacitis competente, cuius resolutio ab alia pendet quaestione, an nempe hypothecae tacitae ad classem iudicialium seu extraiudicialium hypothecarum sint referendae? Mihi eorum sententia calculum mereri videtur, qui tacitas hypothecas aequali cum iudicialibus ordine collocandas statuunt. Quamvis enim ratione immobilium hypothecae suum valorem ex iudicis auctoritate habeant, haec tamen ab imperante et lege est dependens, nec maior, quam ipsius imperantis, et legis auctoritas, esse potest. Iam vero hypothecae tacitae ab ipso imperante per legem sunt constitutae, cuius auctoritas non minor esse potest, quam ministri legis, seu magistratus. Hinc tacitae hypothecae ex auctoritate imperantis et legis per se subsistunt et magistratus non indigent confirmatione, sed aequae stabiles et validae sunt, ac iudiciales. Nec obstat, quod hypothecae iudiciales publicam habeant auctoritatem, earumque finis sit, ut plene creditorum securitati prospiciatur, quia par ratio est hypothecarum tacitarum. Hae itidem publicam auctoritatem, legis nempe, praeseferunt, et princeps, qui ex singulari personae seu causae favore pignora tacita introduxit, itidem securitati creditorum plene prospicere voluit. De hac vero actum foret, si magistratus liceret, sua confirmatione hypothecis posterioribus praelationem conciliare, sicque hypothecas tacitas ex beneficio principis, largissime interpretando (\*), concessas securitate privare. In Saxoniam tam electorali (\*\*), quam ducali (\*\*), res expedita est, et inter iudicialem et tacitam hypothecam, nisi



nisi creditor speciali gaudeat privilegio, valet regula: prior tempore, potior iure. Idem quoque iure Magdeburgico legimus (\* \* \*). Statuta Lubecensia (†) et Memmingensia (†) itidem tacitas hypothecas pari iure cum iudicialibus aestimant. Quod et in Belgio obtinet (†††). Quaedam tamen leges provinciales et statuta iudiciales hypothecas tacitis praeferrī iubent. Exempli loco nominasse sufficit ius Marchicum (§. 35.); statuta Hamburgensia (††††) et Francofurtensia (\*). Si huiusmodi dispositio legis expressa adest illi standum est. Illa vero deficiente, hypothecae tacitae cum iudicialibus pari fruuntur iure, ne fides ab imperante data, minor sit illa, quae hypothecae ex magistratus confirmatione accedit. Sicuti et pleraeque leges provinciales hypothecas tacitas indistincte praeponunt extraiudicialibus, tam publicis, quam privatis. Si vero de hac re specialis legis patriae dispositio non existat, iuris Romani principia in subsidium adhibenda censeo.

(\*) L. 3. D. de constitutionibus principum.

(\*\*) *Ordin. proc. Saxon. vetus.* tit. 44. §. 2. Varia tamen fata expertae sunt hypothecae tacitae in Saxonia. Nam in ordin. Sax. recog. Tit. 45. §. 1. abrogantur hypothecae tacitae. Pleraque tamen per edictum de 24 Sept. 1734. rursus sunt admissae.

(\* \*) *Ord. proc. Gothana P. I. Cap. 18. §. 9.* circa finem. *Ordin. Proc. Altenburgica* p. I. cap. 37. §. 15. *Isenacensis* tit. 28. §. 9.

(\* \* \*) *Ordin. proc.* tit. 49. §. 42.

(†) Lib. III. tit. I. §. 9. 199.

(††) tit. 29. §. 60.

(†††) VOET ad tit. Pand. de pignoribus et hypothecis n. II. HUBER ad tit. D. qui potiores in pignore n. 36. a SANDE decis. Frisc. lib. III. tit. 14. decis. 16.


(††††) Lib. II. tit. 5. §. 12.

(\*) *Reform. Francof. P. II. tit. 20.*

F I N I S.

G 2

MON-



*MONSIEUR,*

*C'est avec bien du plaisir que j'accepte l'honneur que VOUS me faites de me choisir pour un de VOS Opposant. Je ne suis Monsieur que trop persuadé de VOS talents et de Votre mérite pour douter que VOUS n'en recueilliez tout le fruit possible. Je le souhaite de tout mon coeur, en VOUS priant d'être bien persuadé que je serai toujours avec une estime particulière*


*MONSIEUR*

*à Gene  
ce 24 Avril  
1771.*

Votre très obéissant serviteur  
**HENRI XLIII. REUSS.**

GENE-





GENEROSO ATQVE DOCTISSIMO  
IVRIVM CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S

**E**ruditio et morum elegantia, quae TE ornant, vber-  
rimam mihi praebent materiam, qua in laudes  
TVAS excurrere possem. Ast TIBI ipsi doctrinae ele-  
gantisque vitae es testimonio, et humanitas TVA lau-  
dum praeconium a me non expectat. TVA disserta-  
tio, qua me praesidem habere voluisti, TIBI sufficere  
potest, quippe quae insigne est documentum diligen-  
tiae, qua et in Lipsiensi, et nostra academia, literis in-  
cubuisti, eaque satis superque demonstrat, TE ingenii  
gloria multos superare. Hinc ex animo TIBI gratulor  
de hocce eruditionis specimine et honoribus, quibus  
iureconsultorum ordo TE dignum iudicavit. Simul  
quoque supremum numen precor, velit TE saluum  
fospitemque feruare, quo magis spem impleas, quam  
ex praeclara TVA diligentia respublica et orbis eruditus  
iustis ex causis concipere potest. Vale mihi que faue.  
Dabam Ienae d. XVII. April. C1710CCLXXI.

GENE-






GENEROSISSIMO AC DOCTISSIMO CANDIDATO,  
GEORG. GVILIELMO AB EITZEN

S. D. P.

D. IO. AVGVSTVS REICHARDT

P. P. O.


OPPON.



Si, teste Annaeo, doctrinae studia etiam ad ornamenta hominum pertinent, profecto permulta sunt, quae in TE eminent atque elucent. Vellem quidem, si liceret in campum laudum TVARVM quodammodo excurrere, sed temperamentum illud, quod singulari modestiae TVAE indixisti, me reuocare videtur, siquidem plurima facere laudanda quam multis verbis laudari mauiis. Tacebo igitur et non solum in certamine litterario, vbi partes opponentis egregia voluntate TVA in me delatae sunt, sed etiam, dum anima spirabo mea, quae in TE excellunt, demirabor. Vale et benevolentiam TVAM erga me conferua. Dabam Ienae d. XXI. April. CIOIOCCCLXXI.



VIRO

  
 VIRO GENEROSISSIMO  
 SVMMORVM IN IVRE HONORVM  
 CANDIDATO  
 DIGNISSIMO

S. P. D.

D. GOTTL. EVSEBIVS OELTZE

P. P. O. SCABINORVM COLLEGII ASSESSOR.




**E**x quo egregiam solidamque, quam **TIBI** assidua industria parasti, iuris cognitionem, in collegio examinatio sum expertus; **TE** finem, quem **TIBI** proposueras felicissime consecuturum, et studiis **TUIS** academicis in nostra Salana coronidem cum plausu impositurum, laureamque doctoralem reportaturum fore, facile coniciebam. Meritissimum itaque hunc, qui **TE** iam expectat, honorem, intimo animi affectu, gratulor. Mox alia atque alia scientiae et virtutis praemia **TIBI** contingant, meque **TUI** amantem et absens amare pergas, est, quod in votis atque in opratis habeo. Scribebam Ienae die **XVI.** April. anno **MDCLXXI.**

H

VIRO





VIRO GENEROSISSIMO  
AC DOCTISSIMO AB EITZEN  
CANDIDATO DIGNISSIMO.

S. P. D.

CAROL. GVILH. HEYLIGENSTAEDT

HALBERSTAD. LL. C.

OPPONENS.

**B**reue per tempus quo hic commoratus es, quam multos  
TIBI amicos candore animi TVI, quantas TIBI laudes  
ob insignem industriam qualem denique scientiam hac ipsa  
industria acquisuisti, inter omnes constat. Quid mirum si  
haud exiguo cum gaudio in testimonium honoris venio,  
quem TV oras es consecuturus? Quid mirum si manus ami-  
corum TVORVM TE retinere student? Quid mirum si fama  
meritorum TVORVM patriam implet, et haec TE cupidissime  
expectat? I ergo, optempera voci patriae, quae simul  
vox fortunae est, et eripe TE amplexibus amicorum, cum  
dura necessitas id exigit. TE manet insignis fortuna; id  
quod non solum opinor sed etiam confido. Itaque nihil mihi  
restat, quam ut vota pro TVA incolumitate fundam, et TVO  
favore, ac amori, quo nihil praestantius mihi esse potest,  
iterum iterumque me commendem. Sic Vale faueque.  
Dabam Ienae d. XXIII. Aprilis. MDCCLXXI.



Jena, Diss., 1770-71

ULB Halle

3

004 216 091



W 18







1771, 2 / 8  
490

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

PRAEROGATIVA HYPOTHECAE  
PUBLICAE TACITAE AEQVE  
AC EXPRESSAE COMPETENTE

QVAM

EX DECRETO ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

IO. AVG

CODICI  
SCABINOR. COLI  
CONSIL

P

SVMOS IN  
CONSEQV

GEORG.

DIE

L

D.

NSIS

RITE

EN

